




9. 1769. 12. C. 28. num. 17. A3

DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
SEPARATIONE
BONORVM CONIVGALIVM
OCCASIONE DIVORTII
SECVNDVM STATVTA VLMENSIA

P. 404.

QVAM
AVCTORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
D. XXX MAII A. R. S. MDCCCLXVIII.
DEFENDET
IOHANNES DAVID FRIDERICVS HARTLIEB
VLMENSIS.

ALTORFII NORICORVM
TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.



DICTIONNAIRE
DE
GEOGRAPHIE
HISTOIRE CIVILE
OCCASIONNELLE
DIVERSES

PRO
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
SACRISSE
D. XIX MARI A. R. S. DIS. EXAMIN.
JOHANNES DAVID FRIDERICVS LARTEB
VIRANENSIS

ANTHONY NOTICOR W
THESE NO. 6801 OF MARIEN LEAD 1700



VIRIS
PERILLVSTRIBVS GENEROSIS
EXCELLENTISSIMIS AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMIS
ILLVSTRIS AC LIBERAE S. R. I. REI PVBLICAE VLMENSIS
PROCRIBVS

PATRIAE PATRIBVS OPTIMIS
DVVMVIRIS CONSVLIBVS
SECRETIORISQVE CONCILII
ASSESSORIBVS

FV MOSARVM IMAGINVM DECORE
FACTORVMQVE PRAESTANTISSIMORVM GLORIA
ORNATISSIMIS

QVORVM NATALES AVITOS
ET SVMMA IN REM PVBLICAM MERITA
INTER SE CONFERENTES SVMVS INCERTI
IPSI SVVM GENVS AN GENERI SVO IPSI
PLVS AFFERANT DIGNITATIS
ITEMQVE RELIQVIS

SENATORIBVS

ANTIQA FAMILIARVM NOBILITATE
MVNFRVM GRAVITATE RERVM GESTARVM LAVDE
PRVDENTIA SOLLERTIA AVCTORITATE
CLARISSIMIS

MAECENATIS AC PATRONIS
SVMMIS BENIVSSIMIS AETERNVM VENERANDIS

QVALECVMQVE HOC DILIGENTIAE SPECIMEN
INAVGVRANDI CAVSSA EDENDVM
MVNVSCVLVM
PRO INNVMERIS MAXIMISQVE EORVM BENEFICIIS
QVA SPECIEM VALDE EXIGVVM
QVA MENTEM HAVD PLANE CONTEMNENDVM
AC DEVINCTISSIMI GRATISSIMIQVE ANIMI
TESTEM ATQVE INDICEM
SACRVM ESSE
SIMVLQVE VOTA ARDENTISSIMA
PRO SALVTE ATQVE INCOLVMITATE IPSORVM PERENNI
EORVMQVE FAMILIARVM SPLENDIDISSIMARVM
PROSPERITATE FIRMA STABILIQVE
NVNCVPARE
AC DENIQVE
ILLIS IPSIS
OMNIA SVA STVDIA ATQVE INCEPTA
SEQVE TOTVM
EA QVA DECET PIETATE AC VENERATIONE
COMMENDARE ATQVE TRADERE VOLVIT
IOHANNES DAVID FRIDERICVS HARTLIEB



§. I.

Instituti ratio.

Omnium fere, qui operam suam in indagandis remediis, quibus salus rerumpublicarum sarta tectaque conseruari potest, collocarunt, haec communis est opinio, nulla alia ratione uel magis uel tutius quoque multitudinem incolarum augeri posse, quam legitimis matrimoniis. Sed uereor, ut hic semper fini respondeat eventus, nisi duriores quaedam sententiae, quibus matrimonia saepe potius impediuntur, quam promouentur, penitus tollantur, uel certe emendentur. *) Nostra quidem aetate nihil magis curae esse uidetur iurium sacerdotibus, quam ut leges earumque fontes accuratius perquirantur atque inuestigentur, nec est negandum, nonnullas legum ciuilium species opera hac laudabili maiorem lucem dignitatemque obtinuisse. Quod uero ad leges ciuiles

A 3

stricte

*) cf. I. HEVMANNI *Initia Politiae* §. 64. p. 85. sq.

strictè sic dictas easque praecipue attinet, quibus de dominio hominum cauetur; iis certe non tantum studii impenditur, quantum rei magnitudo ipsaque salus publica postulare censetur. Atque hoc quam maxime mirandum est, siquidem procul dubio huius quoque generis leges, mutato rerum statu, propter illud commune vinculum, quo cum ceteris continentur, pro diuersa temporis ratione essent reformandae. Videntur hoc statutorum quorundam conditores Maximiliano I. regnante probe intellexisse, qui tunc temporis multa huic aetio aptiora felici conatu constituerunt, adeo, ut optandum esset, ut ille genius, qui animis maiorum infedit, ad eorum posteritatem reuerneretur. Prae ceteris autem, mea quidem sententia, ea, quae tam in universum de rebus matrimonialibus, quam sigillatim de separatione bonorum sancita sunt, eiusmodi mutatione indigent, quae nostris temporibus placitisque magis conueniens esse uideatur. Quum uero de re tam graui tamque copiosa generatim agere mihi non sit propositum, quaedam tantum, quae huc pertinent, pertractabo, nonnullasque constitutiones Germanorum, quae ad separationem bonorum coniugalium occasione diuortii spectant, in iisque statutum patrum cum Romanorum legibus comparabo.

§. II.

Num in Casu discidii culposi Iuri naturali conueniat, ut bona partis nocenti innocenti uel tota uel magnam partem cedant?

Non plane haec quaestio silentio praetereunda est ab iis praesertim uentilata et defensa, qui legum ciuiliam

uiliū , praefertim Romanorum praecepta non nisi generalia atque immutabilia rationis ipsius dictamina esse arbitrantur. Secundum eorum enim sententiam pars nocens , et praecipue adulter uel adultera parti innocenti bonis suis satisfacere debet , atque hac quidem ratione , ut fingatur , partem nocentem iam esse mortuam , ex quo deinde sequeretur , ut parti innocenti omnia bona , quae post mortem nocentis uel ex pacto uel ex lege ad illam pertinerent , essent tribuenda. 1) Omnis quidem fidei coniugalis laesio , maxime autem adulterium impune haberi nequit ; num uero satisfactio in amissione bonorum omnium , uel certe eorum partis debeat consistere , quaestio forte altioris est indaginis , ex Iure naturali stricte sic dicto uix diiudicanda. Certe pro diuersa matrimonii aut facultatum conditione effectus huius regulae tam graues sunt , ut de nimia animaduersionis seueritate quosdam legistatores ipsos persuasos fuisse haud difficulter ex eorum legibus cognosci possit. Hinc recentiorum nonnullis Doctorum consultius uideretur , ut adulterae , apud quas plerumque minor culpa est , centesima , adulteri e contrario decima bonorum parte , inter principem et magistratum diuidenda , mulctentur. 2)

§. III.

Quid hac in re secundum Ius Romanum obtineat ?

Romani , quorum leges collectas Germani iam olim impense coluerunt easque partim grauioribus ex causis

1) LEYSER. Med. ad Pand. sp. 579. m. 6.

2) C. F. HOMMEL, Diss. Principis cura leges. C. VII. p. 24.

causis, partim etiam nulla necessitate coacti in legum suarum codices transtulerunt, occasionem dedisse uidentur Germanis, adulterio commisso, iniuriam innocenti illatam bonis alterius, cuius culpa matrimonium dissolutum est, expiandi. Sed uetus Romanorum legislatio mutationibus uariis pro casuum uarietate fuit obnoxia; et propterea recentiores rem accuratius definire studuerunt, multaque sane deciderunt, quae nondum erant decisa, licet non tantum effecerint, ut nihil amplius restaret dubii. Videlicet secundum eorum interpretum 1) sententiam, qui apud nos hodie maximam in foro auctoritatem nacti sunt, Ius Romanum eo fere redit, ut, conuicta de adulterio commisso uxore, maritus praeter donationem ante nuptias etiam dotem consequatur, e contrario uero uxor, dote propria recepta, donationem propter nuptias lucretur. 2) Olim quidem praeter haec marito innocenti tantum praestandum erat ex alia uxoris substantia, quantum tertia pars dotis esse cognoscebatur 3); quod tamen recentioribus legibus correctum esse alii iam annotarunt. 4) Secundum aliam constitutionem, dote non constituta, quarta pars totius substantiae perfoluenda est. 5) Denique amittit adultera omnia legata, donata, aliaque a marito ipsi relicta, quae mortuo eo obtinisset. 6)

§. IV.

- 1) cf. I. H. BOEHMERI Diff. de priuatione dotis et successionis statutariae ex capite adulterii C. II. §. 13. LEYSERVS l. supr. cit.
- 2) Nou. CXVII. C. VIII. Nou. CXXXIV. C. X.
- 3) Nou. cit.
- 4) cf. BOEHMER. l. c. Nou. CXXXIV. C. X.
- 5) l. II. §. I. C. de repud.
- 6) Arg. l. I. C. de sec. nupt. l. 3. in f. de adim. uel transfer. legat.

§. IV.

Constitutiones quaedam legum Germanicarum inter se conferuntur.

His principiis, quibus Romanorum sancita nicebantur, quaeque supponunt matrimonium cum uel sine dotis illatione initum, Germanici legislatores partim limitando partim extendendo usi sunt. Quare iam statuta et leges prouinciales, quae, uelut *Reformatio Francofurtana* 1) et *Constitutiones Brandenburg. Culmbac.* 2) a Iure Romano uix recedunt, hic iam non moror, sed ad eas pergo, quae ab hoc in nonnullis capitibus discedunt. Verum enim uero quaedam statuta 3) ita san-

B xere

1) *Reformat. Francofurt. P. V. T. VI. §. 2. 19.*

2) *C. Brand. Culmb. p. II, Tom. II. pag. 218.*

3) Iure Norico ita cautum: „Dass in verdingten Heyrathen in beyderley Faellen (adulterii et malitiosae defertionis) der schuldige Theil alles Gewasses und Vortheils, welcher ihm sonst seit wiewender Ehe und durch den Todes-Fall eines oder des andern Ehegattens zugewachsen waere, ipso Iure sich verlustig mache, mithin schuldig und verbunden seye, das in der Heyraths- Abrede bedungene Heyrath-Gut und die voellige Wiederlage dem unschuldigem Theil einzuräumen und in Eigenthum und Genuss zu uberlassen, und zwar ohne Unterschied, es moegen gleich in solcher Ehe, da die Ehescheidung gesucht wird, Kinder vorhanden seyn oder nicht: es waere dann, dasz der schuldige Theil ein oder mehrere Kinder zugebracht haette und selbige noch am Leben waeren, deren Erbtheil auf dem Fus des alsofort in dem ersten Termin, nach der litis contestation, inuentirt und berechneten Vermoegens resp. das quantum des bestimmten Heyrath-Guts, oder der determinirten Wiederlage nicht erweichte, da denn die Verbermaas nichtig und von Unkraefften, mithin dem unschuldigen Theil auf solchen Fall mehr nicht dann eine rata eines, welcher des Schuldigen Theils Kindes erster Ehe ab intestato kaeme, zu veratfolgen waere. Comment, succinct. in Reform, Nor. p. 447. n. 1.

xere, ut siue liberi adsint, siue nulli sint progeniti, coniux nocens innocenti dotem uel donationem propter nuptias retinendam iure dominii et utendam fruendam; liberis uero existentibus portionem filialem secundum eam bonorum copiam, quae tempore litis contestatae inuenietur, relinquere teneretur. Secundum alias leges Germanicas pars innocens lucrifacit dotem, uel donationem propter nuptias, praeterea acquirit etiam bonorum partem, quae eo tempore (quod omnino naturae rei conuenientissimum esse uidetur) supersunt, quo matrimonium per sententiam iudicis dissolutum est. Quod si autem liberi in eo nati sunt superfites, his proprietas, innocenti patri uel matri tantum ususfructus adiudicatur. Neque dotalitium et donatio propter nuptias simul peti possunt, et pari ratione cessat quoque portio statutaria, si dos et donatio propter nuptias fuerit electa. 4) Statutum patrum, quod infra totum inferendum curabo, liberis non extantibus, coniugi innocenti alterius illata, et quae iure haereditatis ad illum peruenerunt, nec non bona acquisita et tandem omnia post mortem alterius, in alterum deferenda; e reliquis autem facultatibus tantum, quantum aut fortunarum aut ipsius personae conditio suadebit, attribuit. Quod si liberi adsunt, his et innocenti coniugi bona cedunt omnia eorumque ususfructus.

§. V.

Quid communiōe bonorum intercedente ratione diuortii iuris sit?

Matrimonia in Germania, praesertim uero in terris et ciuitatibus circuli Sueuici cum certis sub pactis, tum

4) *Preussisch Land-Recht*, p. I. L. II. T. III. a. I. §. 38. 199.

tum sine eis contrahi, atque in posteriori casu bona, quae coniuges ab initio statim inferunt, aut eis demum ex haereditate obueniunt, alia ratione ab iis acquiruntur, matrimonio durante, communia haberi solent. Antiquum hoc et Germanis proprium est inuentum, legibus tamen uel expressis uel tacitis tam uariis modis determinatum, ut uix regulae perpetuae, quibus hoc iurisprudentiae caput illustrari possit, cum certitudine quadam suppeditari queant. Institutum hoc, olim quidem tanquam utilissimum ab omnibus fere approbatum, a recentioribus rerum politicarum magistris tanto plausu non amplius excipitur, nec, si quid uideo, nostris institutis et moribus satis semper conuenit. 1) At si oracula Ictorum adimus, ea 2) generatim, etiam bonorum communione inter coniuges inita, regulam, de qua supra dictum, suppeditant, et hoc quoque casu adulterum pro mortuo esse habendum decernunt, ex quo facile intelligi potest, ad duo potissimum momenta esse respiciendum, num liberi supersint, nec ne; ac priori casu bona patri uel matri innocenti cum liberis esse communi posteriori uero coniugem innocentem solum cuncta retinere atque hac ratione nocentem omni communionis bonorum commodo priuari. Quemadmodum autem communio haec non ubique iisdem definitur limitibus, sed latius hic pater, illic angustioribus circumscribitur finibus, ita etiam effectus in casu discidii non semper

B 2 et

1) HEVMANN. *im Geist der Gesetze der Deutschen* C. XVI. § 5.

2) cf. ENGAVII *Diff. de bonorum inter coniuges Sueuos, speciatim Memmingenses communione* §. 10. I. M. WEYER *de communione bonorum inter coniuges* p. 1, Th. XXVII.

et ubique iidem esse poterunt. Plures quidem et ab his discrepantes interpretum sententiae in promptu essent, cum ipsi inter se neque in principiis neque consequentiis conveniant: sed hic tutius erit, relictis illis, leges ipsas duces eligere, eaque, quae ad propositum nostrum facere videntur, pro ingenii modulo ex iisdem colligere. Haud enim desunt statuta, quae intuitu communionis bonorum uniuersalis in eo casu, si bona ob diuortium separantur, modum praescribere, ita uidelicet, ut, si ea inter solos coniuges diuidenda sunt, innocens praeter dimidiam partem, quae ei iure domini et societatis debetur, ex altera nocentis dimidia statutariam consequatur partem, et liberis existentibus itidem dimidiam omnium facultatum partem et praeterea filialem portionem nanciscatur. 3) Coniugem nocentem communiione bonorum particulari intercedente, iure suo, quod in acquisitione ipsi conueniret, priuari, non opus est pluribus monere.

§. VI.

Plurium de hac re Statutorum sancita conferuntur:

Alia statuta, nulla ratione habita, num iura coniugum ratione bonorum pactis sint definita, an nihil inter eos conuentum sit, quum ius commune quodammodo sequeretur, sanxere, ut delinquens coniux, si in communiione bonorum uixerit, omnia bona, praesertim liberis superstitibus, amittere deberet in poenam laesae fidei coniugalis. 1) Atque in eiusmodi casu, ui

4) uid. Decret. Noric. supr. allegat.

1) Ius provinc. Hohentloic. p. I. T. VIII. §. II. Wenn die Ehebeziehung aus einer der vorherstehenden Ursachen, entweder des Ehebruchs oder

ui fratutorum et obseruantiae quarundam Sueviae ciuitatum, communitio a liberis et parente innocente continuatur, ideoque his, liberis scilicet et parenti, quam diu hic ad secunda uota non transferit, bona relinquuntur omnia, ipsius pacti matrimonialis tenore neglecto. Merito tamen hoc aequitati dederunt, ut coniugi dimisso, aliis bonis plane destituto, alimentis necessariis, pro quantitate bonorum illatorum et acquisitionum determinandis, prospexerint. 2)

§. VII.

De Iure Vniuersi.

Statutum patrium in nonnullis capitibus eadem principia adoptauit, in aliis autem ab eis iterum discessit; quare, cum id hic utramque faciat paginam, a scopo haut alienum erit, ipsa eius uerba prius, quam longius progrediamur, afferre:

B 3

I.

oder der hohhaften Verlassung, von der Obrigkeit erkannt und durch Urtheil ausgesprochen ist, so soll der unschuldige Theil von allen des Schuldigen in die Ehe gebrachten und darinn erworbenen Vermögen, und zwar, wenn keine mit einander erzeugte Kinder vorhanden sind, beständig und eigenthümlich behalten und ihm verbleiben, waeren aber aus solcher Ehe Kinder vorhanden, so wird er wegen des Vermögens gehalten, als ob der schuldige Theil zur Zeit der ausgesprochenen Ehescheidung verstorben wäre, mit hin verbleibet das ganze Vermögen, ohne Ausnahm dem unschuldigen Ehegatten und Kindern, dergestalt das wenn der unschuldige Theil zur andern Ehe schreitet, er mit denen Kindern abtheile, oder sich abfinden muß, wie oben versehen. Und das bleibet denen Kindern an dem Vermögen, so der geschiedene Vater oder Mutter auch nach der Ehescheidung, durch Erb - Fälle, oder sonst erlangen möchte, das Erbrecht bevor.

2) Neu revidirte Zucht Ordnung der R. Stadt Memingen §. 4. ap. ENGAV c. 1. §. 75.

I. Wann nun einiche Ehescheidung beschicht , So soll auch das Gut , zwischen denselben geschaidenen Ehegemächten , nachfolgender Gestalt und Satzungen gesündert werden , Nämlich , Da keine Kinder von ihnen beiden geboren , vorhanden weren , so soll das vnbrüchig , frey zu vor außs , zu seinen banden nemen , Alles , das es dem brüchigen zugebracht , auch bey ihm ererbt , oder in gemächtsweiss überkommen hat , darzu seine Kleider , Kleinoter , und was zu seinem Leib gehörig ist , Dessgleichen die Morgengab , die ihm vom andern verheissen were , oder die es dem andern versprochen , Auch aller Gewin und Fürschlag , welche sie beede miteinander überkommen haben , und zu dem die Wiederlegung , oder was es vom brüchigen , (so es mit Todt abgangen) Inhalt der Heuratbrieff , (ob anderst einig zwischen ihnen auffgericht) und vnserer , längst Erneuertem Gesetz vnd Ordnungen nach , hette erben oder bekommen mögen , und vom vbrigen Güt , was weiter vorhanden were , und dem brüchigen zugebürt , soll dem vnbrüchigen , auch ein theil folgen , Was aber oder wieviel dasselbig sein , soll Federzeit , nach Gestalt und Gelegenheit der Sachen , durch vns , erkannt und ausgesprochen werden , und darwider , soll das brüchig , die Heuratbrieff oder Verträg , vor der Scheidung auffgericht , nicht schirmen oder fürtragen .

II. Weren aber Kinder vorhanden , so solle dem Vnbrüchigen und den Kindern , alles Güt , was vorhanden , zugefallen und verwürckt sein , der Gestalt , das das Vnbrüchig alles das Güt , was von ihm vnd dem brüchigen alda were , mit sampt den Kindern , innhaben , nutzen vnd niessen solle , nach der Statt Recht , der Heuratbrieff oder

oder Abred, ob anderst einiche zwischen ihm, und dem brüchigen auffgericht oder fürgangen vnrverbindert, und nicht anderst, dann als ob das Brüchig jetzo, Todts verschieden were, so lang vnnnd viel das Vnbrüchig vnnnd vnschuldig im Witwestand verbleibt.

III. Wann aber dasselbig Vnbrüchig vnnnd Vnschuldig Ehegemächt, sich widerumb verheuraten wolte, Soll es alsdann, zwischen ihm den Vnschuldigen und bemelten Kindern, der Theilung vnnnd anders halber gehalten werden, wie die zwischen ihm Vnbrüchigem und dem Brüchigem auffgericht Heuratbrieff, oder obgedachte vnserne erneuerte Ordnung, der anfälligen Güter halber, vermögen oder statuiren, abermal nicht weniger, denn da das Brüchig mit Todt verfallen wer.

IV. Jedoch, so des Brüchigen theils, Zugebracht Haab vnnnd Güt, (welches es aber gegen dem Vnbrüchigen vnnnd seinen Kindern (wie geboert) verwürckt, etwas statlichs vnnnd ansehnlichs were, vnnnd das Brüchig, sein Leibs nahrung selbs nicht zu erlangen wufste, wöllen wir vns hie mit vorbehalten, ihm dem Brüchigen, von seinem eignen Güt, oder desselben Abnutzung etwas, nach Gestalt der Personu, und messigung des Güts, zu seiner Leibs auffenthaltung, zu verordnen und zuzusprechen, Aber von des Vnbrüchigen zugehörigem Güt, wie das oben bestimpt ist, soll Ime Brüchigen gar nichts erkennt oder zugeordnet werden. *

§. VIII.

* Der Statt Ulm Gesaz und Ordnung von Straff offenbahrer Lafer. Tit. V.

§. VIII.

*De communione bonorum statutoria Vlmensi quaedam
praemittuntur.*

Quicquid inter coniuges conuenit, siue pactis de futura successione sibi prospexerint, siue communionem bonorum elegerint; in casu tamen diuortii bona secundum unam eandemque normam separantur. Hoc enim uerba innuere uidentur: *was es vom brückigen inhalt der Heurat Brieff (ob anders einig zwischen ihnen aufgericht) und unsern iingst erneuerten Gesetz und Ordnungen nach haette erben oder bekommen moegen.* 1) Operae pretium hinc esse duxi, de effectibus communionis bonorum Vlmensis nonnulla praemonere. Cedunt nempe superstiti coniugi, si matrimonium est sterile, omnia defuncti bona, exceptis feudis, fideicommissis et, si quidem uiuo adhuc coniuge de iis testamento cautum sit, bonis etiam haereditatis iure acquisitis. Liberis uero exstantibus, coniux superstes gaudet usufructu totius haereditatis, et quamdiu uiduus uel uidua statum non mutat, etiam administratione. At si secundas nuptias celebrauit, superstes coniux quidem praecipit omnia illata, et quae durante matrimonio per haereditatem acquisiuit; e communi autem acquaeftu et defuncti patrimonio portionem statutariam consequitur. 2) Vt ego quidem sentio, communitio haec bonorum Vlmensis, si rite definiatur, particularis 3) est dicenda. Primo enim statim

1) Stat. Ulmens. p. I, T. II. §. I.

2) ibid. t. III. §. I.

3) Non itaque uniuersalis, et a regula aberrans dicenda cum
ENGAVIO in progr. *de bonorum inter coniuges Vlmenses communitio.*
Cera

statim intuitu apparet, coniuges non aequale ius in omnia bona nancisci, quomodo enim alias fieri posset, ut alter de certa parte bonorum pro lubitu ac uel dissentiente altero disponderet? Quare etiam defuncti bona inter superstitem et liberos essent diuidenda, si uterque aequale et perfectum ius in omnia bona coniugalia acquisiuisset.

§. IX.

Secundum Statutum patrium requiritur, ut ante diuortium sit factum, quam coniux nocens commodis matrimonii priuatur.

Cum ob uiolationem fidei coniugalis coniux nocens etiam bonis suis mulctetur; alteri innocenti liberisque ex illo matrimonio progenitis aditus ad illius bona relinquitur. Hoc uero fortassis dubium est, num praecise diuortium requiratur, an id, quod admittit ius commune, sufficiat, ut de adulterio commissio certo constet. Plurimi enim interpretum conueniunt in eo, ut statuatur, causam amissionis dotis, donationis propter nuptias etc. in iure canonico 1) constitui ob adulterium, et haeredibus concedi facultatem, uiduam, dotem repetentem, exceptione adulterii repellendi; dote autem nondum soluta eam actione petendi. Videamus igitur, num statutum patrium hac in re a iure communi discedat, atque ut hoc eo melius fieri possit, inquiramus, quomodo
C
statutum

Certa enim et perpetua regula ad quam hac in re respicere debemus, nondum est definita, ac praeterea bonorum communio particularis uniuersali non solum antiquior, sed in Germania etiam frequentior est. HEVMANN. Geist der Gesetzter der Teutischen. C. XVI. §. 5. *

x) C. 4. de donat. inter uir. et uxor,

statutum, de quo hic sermo est, cum antecedentis tituli sanctionibus cohaereat. Praemisso titulo de diortio, in eius §. III. generatim exponuntur causae, ob quas matrimonia dissolui queant; in hoc uero titulo iusto ordine traditur, quomodo, dissoluto matrimonio, bona coniugalia iterum separentur; quo etiam principium huius tituli spectare uidetur: *vvenn nun einige Ebescheidung beschicht, So soll auch das Gütt zwischen denselben geschaidenen Ebe-gemaechten - gesondert vverden.* 2) Nisi omnia me fallunt, statuti patrii conditores iuris romani principia secuti sunt, quod quidem *discidii culposi*, 3) poenam in priuatione dotis et donationis propter nuptias posuisse, neminem fugit. 4) Inter omnes quoque, qui legum scientia pollent, regula extra dubitationis aleam est posita, legem poenalem non extensiuè interpretandam esse, quod utique fieret, si ad alia confugeremus principia, de quibus tamen ne cogitasse quidem legislatores omnia declarant.

§. X.

Idi quod porro ex aliis argumentis euincitur:

Si quem haec nondum conuincunt; eum forte aliud argumentum in nostram adducet sententiam. Tantum enim abest, ut statuti patrii titulus, iam saepius commemoratus, de sola adulterii poena loquatur, ut potius in eo generatim de discidio culposo sermo sit. Qui modo eius inscriptionem attentius legit, uidebit, non de eo solo diortio agi, quod ob adulterium fit, sed uerba

2) von Straff offenbar. *Lafser*. T. IV. §. 3.

3) l. s. n. de captiu. et postlim. reu.

4) et in eo plures germanicae leges conueniunt.

ba von *Sonderung des Guts bey EHESCHIEDVNGEN* omnino latius esse extendenda. Quenam autem diuortiorum species indigetetur, uel solum uocabulum *bruchig*, si alia omnia deficerent, nos satis edocer. Sic nimirum generatim uocatur ille coniugum, qui fidem et sanctitatem matrimonii uiolauit, quemadmodum euentissime hoc testatur Tit. III. §. 3. supra iam citat. : *und im Fall in Rechten erhebliche und bestaendige Ursachen fürsien, um welcher willen das unbrüchig und unschuldig die Ehescheidung begehren moechte.* Quae cum ita sint, negari non potest, legem quoque nostram, ut plures causas silentio praeteream, de matrimonio ob malitiosam desertionem dissoluendo, accipiendam esse. Equidem haut ignoro, non deesse interpretes, contententes, etiam coniugem deserentem omnibus, quae per statuta et obseruantiam, ius commune et pacta dotalia conceduntur, commodis ipso facto priuari; sed cum haec antiquorum Romanorum moribus nitantur, quibus propria auctoritate alteri repudium mittere licuit, ad nostra tempora, quibus matrimonia, non nisi auctoritate iudicis rescinduntur, eadem applicari nequeunt. Sequitur autem exinde, ut ne secundum ius romanum quidem illa commoda amittantur, nisi actio aduersus deserentem iam erit instituta. 2) Quare etiam eo minus dubitari potest, quin sanctio iuris patrii, quae omnino et hunc casum complectitur, diuortium reuera iam factum supponat.

C 2

§. XI.

1) Nou. XXII, C. XV. §. 2. Nou. CXVII. C. VIII. §. 5.

2) LANG. *von der Gemeinschaft der Güther der Teutschen* p. 260. SCHILTER. *Inst. iur. l. II. 12. §. 8.*

Differt etiam in eo a communi iure ius patrum, quod pacta dotalia non attendantur.

Non una tantum ex ratione leges ius commune dereliquisse, grauissimis acquissimisque sine dubio rationibus motos, hucusque pluribus docuimus. Sed supersunt alia, quae non praetereunda esse existimamus. E iure enim communi notum est, leges non aduersari, si pactis et conuentionibus sibi prospicere uelint coniuges, quid quilibet, si matrimonium praeter omnem suspicionem esset rescindendum, e bonis coniugalibus retineat. Et licet quidem rarius accidat, ut de tam tristi casu eo tempore cogitent, quo se semper amatuos esse, certissime sperant; attamen eiusmodi cautionem numquam fieri, eamque magni momenti commodis carere, plane dici nequit. Hac ratione suis commodis et utilitatibus optime consulere possunt, et cauere, ne maiori bonorum parte priuentur. Maxime autem eiusmodi pactorum usus se tum exserit, si in statuto quodam plura bona nocenti auferuntur communi inter coniuges inita, quam iure communi. Namque cum secundum ius commune pacta illa inierint; omnia etiam intuitu bonorum coniugalium huius dispositioni subiecerunt. At eiusmodi pacta coniuges Vlmenses non iuuabunt, cum ibi, posthabitis, his pactis ante diuortium initis, hoc casu unice legibus uiuatur; et *darvörder soll das brüchig die Heyrath Brief oder Vertrag vor der Scheidung ausgericht nicht schirmen*; atque paulo

lo inferius dicitur ; nach den Stadt Recht , der Heurath-
Brief oder Abred unverbindert. *

§. XII.

Quodnam tempus ratione status bonorum attendatur.

Bonis itaque mulctari coniuges , qui uinculum matri-
monii perfidia sua ruperunt , et quam eorum parte
mulctentur , clare lex nostra sanxit , sed cum tamen eo-
rum facultates diuersis temporibus ipsae quoque diuersae
sint , quodnam tempus Statutum nostrum respexerit ,
ostendendum est. Varia uidelicet tempora determinan-
tur , secundum quae status omnium nocentis bonorum
debeat considerari. Communis enim est sententia inter-
pretum , eam facultatum conditionem , si lis de priua-
tione bonorum ob adulterium commissum uentilatur ,
esse considerandam , quae fuit tempore adulterii commissi :
quemadmodum enim adulterium causa priuationis est , ita
etiam ad tempus , quo id commissum fuit , respicien-
dum esse , ab iisdem statuitur. Quaedam Statuta
(de quibus supra §. IV.) iudices ad tempus litis con-
testationis respicere iubent , alia Statuta ad tempus la-
tae sententiae , a quibus Statutum patrium non dissen-
tire uidetur ; in quo quidem hac de re nihil cautum est :
ex uerbis autem eius : wann nun einiche Ehescheidung be-
schicht , so soll auch das Gut-gefondert werden , non sine
ueritatis specie colligendum arbitror , lucra non a tem-
pore

C 3

* tit. cit. §. I.

pore commissi criminis aut litis contestatae, sed a tempore facti diuortij cedere debere.

§. XIII.

Deficientibus legibus particularibus recurrendum est ad ius commune.

Inuestigauimus hucusque, quid innocenti coniugi ex alterius nocentis bonis leges quaedam particulares tribuant. His autem deficientibus, eius, quam hic tractamus, quaestionis decisionem omnino reddi difficiliorem, quilibet facile intelliget, qui non ignorat, quam caute romanae leges ad eiusmodi Germanorum instituta debeant applicari. Si tamen hac in re a tot tantisque uiris saepius tractata, dicere licet, quid sentiam, eorum, qui ius Romanum in subsidium uocare non dubitant, sententia aequissima mihi uidetur. Initae enim communionem bonorum, tam uniuersali quam particulari, quaeri potest, num si matrimonium ob alterius fidei coniugalis laesionem rescindatur, nocens ius in patrimonium innocenti et acquaesitum amittat, quidue innocens ex alterius bonis consequatur; Prius quidem uix dubio obnoxium esse potest, cum causa, ob quam coniux in alterius patrimonium ius nanciscitur, matrimonium nempe, sub lege communionis bonorum contractum, diuortio facto, penitus tollatur. Ex eodem fundamento quoque statu-

tuendum esse arbitror, nocenti nullum ius in acquae-
 ftum amplius competere. Ratio certe adesse nulla ui-
 detur, ob quam nocens partem bonorum acquisito-
 rum postulare queat. Refertur enim aquaeftus in-
 ter commoda a communione bonorum descendencia,
 quae tamen per diuortium iterum est sublata, et prae-
 terea hand raro iniquissimum esset, si innocens di-
 midiam bonorum acquisitorum partem, nocenti
 relinquere teneretur, cum hac ratione facile
 fieri posset, ut hic lucrum haut exiguum exinde
 caperet, ille uero, nullius culpae conscius, iniuste
 puniretur. Quod denique ad delinquentis propria
 bona attinet; negandum quidem non est, posse
 eum, soluto matrimonii uinculo, propria bona repetere;
 sed num omnia, nullisque deductis, sint reddenda,
 hoc e iure communi diiudicandum esse putarem. Ni-
 hil enim meo quidem iudicio obstat, quominus et hic
 L. II. §. 1 C. de repud. in subsidium uocetur, lice-
 atque innocenti ab alterius bonis quartam partem
 detrahere. *

* Ita sentit supra laudatus LANGIVS c. I. §. 263. sqq. cui non possum
 non accedere.



COROL-

COROLLARIA

- I. *Deus per rationem cum hominibus non loquitur.*
- II. *Dominia et pacta ad ius naturae neutiquam pertinent.*
- III. *Ius publicum uniuersale ad ius publicum particulare non omnino applicari potest.*
- VI. *Homines proprii nec olim nec hodie operas indeterminatas praestiterunt.*
- V. *Testamenta non sunt iuris naturalis.*
- VI. *Testamentum per personam intermediam ad acta insonatum non ualeat.*
- VII. *Testamentum iuri statutorio haud consentaneum iure communi non firmatur, quamuis clausula codicillaris adiecta fuerit.*
- VIII. *Vox electi in titulo Imperatoris Imperii dignitati derogare uidetur.*
- IX. *Caesaris decisioni res committenda est, si inter singulos imperii status obseruantiae ualiditate lis moueatur.*
- X. *Regalium nomine non nisi iura intelligi debent, quae principi ui superioritatis territorialis conueniunt.*
- XI. *In caussis Politiae ad suprema Imperii dicasteria prouocari posse, legibus imperii non aduersari uidetur.*
- XII. *In legum Romanarum conspectu sola praxis iudiciorum usu probata decidere debet.*


ULB Halle

3

002 408 120







P. 404.

9. 1769. 2. E. 28. num. 17. 13

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
SEPARATIONE
BONORVM CONIVGALIVM
OCCASIONE DIVORTII
SECVNDVM STATVTA VLMENSIA

QVAM
AVCTORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
D. XXX MAII A. R. S. CIOCCCLXVIII.
DEFENDET
IOHANNES DAVID FRIDERICVS HARTLIEB
VLMENSIS.

ALTORFII NORICORVM
TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

